

PONTIFICIA UNIVERSITAS LATERANENSIS
ACADEMIA ALFONSIANA
INSTITUTUM SUPERIUS THEOLOGIAE MORALIS

S T A T U T A

ROMAE 1982

SACRA CONGREGATIO
PRO INSTITUTIONE CATHOLICA

Roma, 26 marzo 1982

Eminenza Reverendissima,

il Rev.mo Mons. Franco Biffi, Rettore di cotesta Pontificia Università, ci ha trasmesso, con Lettera N. 3823/82, dell'8 c.m., il testo degli Statuti dell'Accademia Alfonsiana, emendato secondo le osservazioni avanzate da questa S. Congregazione con Foglio N. 810/79, del 5 novembre 1981.

Questo S. Dicastero, dopo avere esaminato il testo emendato, ha riscontrato con vera soddisfazione che i rilievi ed osservazioni dei nostri esperti sono stati presi in debita considerazione.

Pertanto concediamo ben volentieri la nostra definitiva approvazione degli Statuti, *ad triennium et ad experimentum*, con la condizione che vi vengano apportate alcune ulteriori precisazioni, che accludiamo alla presente (Allegato). (1)

La preghiamo, Eminenza Reverendissima, di esprimere alle Autorità dell'Accademia Alfonsi-

ana il nostro particolare ringraziamento per il lavoro di emendamento compiuto, unitamente agli auguri più sentiti a che i nuovi Statuti costituiscano un valido incremento per l'Accademia medesima, a vantaggio della Chiesa universale.

Profittiamo della circostanza per porgerLe il nostro più distinto ossequio e confermarci

di Vostra Eminenza Reverendissima
devotissimi nel Signore

William Card. Baum

F. Marchisano, Sottosegr.

A Sua Em.za Rev.ma
il Signor Card. Hugo Poletti
Vicario Generale di Sua Santità

(1) Le precisazioni richieste sono state inserite nel testo.

PROOEMIUM

HISTORICA NOTITIA

- a) Academia Alfonsiana anno 1949 a Congregatione Sanctissimi Redemptoris condita est qua Institutum superius theologiae moralis, in spiritu et praxi S. Alfonsi, doctoris et pastoris, necnon et Congregationis fundatoris, renovandae, ita ut necessitatibus christifidelium nostri temporis responderet.
- b) Anno 1957, die 25 martii, Sacra Congregatio de Religiosis Academiam, ut *scholam internam publicam* theologiae moralis agnovit et constituit, Congregationi SS. Redemptoris quidem concreditam, sed etiam aliis utriusque cleri sacerdotibus apertam.
- c) Anno 1960, die 2 augusti, annuente Summo Pontifice Joanne XXIII, Sacra Congregatio de Seminariis et Studiorum Universitatibus Academiam Facultati theologiae Pontificiae Universitatis Lateranensis inseruit, Statutis eius, ut Instituti superioris theologiae moralis, rite probatis. Quae omnia confirmata sunt in Statutis generalibus Pontificiae Universitatis Lateranensis, art. 3,3, a Sacra Congregatione pro Institutione Catholica probatis die XX decembris a. 1980.

PARS I
DE ACADEMIA ALFONSIANA

Titulus I - De Academiae fine et constitutione

Art. I - Academia Alfonsiana ut finem suae navitatis scientificae sibi proponit:

- a) theologiam moralem, sub lumine Mysterii Christi, ita excolere atque provehere, ut, novis progredientibus aetatis inventis atque culturae instantiis consideratis, veritas vitae moralis hominis in Historia salutis et Christi Mysterio fundata, profundius penetretur, systematice enucleetur et ita problemata moralia recte investigari et solvi possint, respectu semper habito Magisterii Ecclesiastici (Cf. SC 3,1; 66; 67, 1.2);
- b) specialisationem veri nominis in theologia morali ita provehere ut, unitate *subjecti theologiae* qua sapientiae servata, ex Christi Mysterii plenitudine, praesertim biblice, revelata, methodo et organisatione sibi propria, doctrinam moralem adequatam scientificae, prout dignitas et peculiaritas scientiae moralis postulat, enucleat, ope praesertim

speculationis, S. Thoma Aquinate magistro;

- c) theologiam moralem pertractare etiam ratione habita tum oecumenismi, tum doctrinarum moralium religionum non christianarum, tum atheismi moderni;
- d) theologiam moralem studentes docere, profundius eos instituendo circa eius fontes, principia, methodos, applicationes et omnes scientias cum ipsa connexas, methodo interdisciplinari servata. Eos insuper ad scientificum laborem formando, aut ad magistrum etiam superius, vel in docendo vel in veritate morali scientificae investiganda aut tandem ad alia munera obeunda in bonum Ecclesiae et societatis;
- e) studentes etiam theologiam moralem docere, qui etsi ad gradus academicos non contentant, doctrinam tamen theologico-moralem profundius addiscere cupiant.

Art. 2 - Academia Alfonsiana

- a) est communitas in qua omnes personae, sive singulae, sive in consiliis adunatae, pro sua cuiusque condicione corresponsabiles boni communis se sentiunt atque suam operam sedulo praestant (Cf. SC 11, 1).
- b) est communitas in Congregatione SS. Redemp-

toris, cuius, ut agnovit Summus Pontifex Paulus VI, est *navitatis fructus recens is-que praecipuus in campo studiorum theologiae moralis, in quo excolendo Congregatio SS. Redemptoris egregia sibi comparavit promerita* (AAS 59-1967, 1961-1962).

Proinde Academia Alfonsiana subicitur directioni et administrationi eius, ut Institutum suam vitam culturalem autonomam habens, servato tamen regimine Pontificiae Universitatis Lateranensis, ad normam Statutorum a S.C.I.C. probatorum.

Art. 3 - Academia Alfonsiana complectitur:

- a) Institutum superius theologiae moralis, quod dividitur in secundum et tertium cyclum curriculum studiorum in theologia morali, respective concludendum licentia et doctoratu ad normam SC 47, 1;
- b) Cursum ad diploma systematice ductum, de quaestionibus theologiae moralis. Expleto curriculo, auditores donantur diplomate, dissertatione doctrinali positive peracta;
- c) Circulum Alfonsianum culturae moralis, qui cursus breviores cum testimonio, vel seriem lectionum (conferenze) de aliquo themate morali promoveat.

PARS II DE PERSONIS

Titulus II - De Regimine Academiae

Art. 4

- a) Auctoritates Academiae Alfonsianae sunt personales et collegiales: auctoritates personales sunt: Magnus Cancellarius et Rector Magnificus Pontificiae Universitatis Lateranensis; Superior Generalis Congregationis SS. Redemptoris qua Moderator Academiae, Praeses Academiae. Auctoritates collegiales autem sunt Consilium Academicum et Consilium Professorum, moderante Praeside.
- b) Regimen ordinarium Academiae est penes Praesidem, adiuvante Consilio Professorum.

Art. 5

- a) Cum Academiae Alfonsianae directio et administratio a Sancta Sede curis Congregationis SS. Redemptoris concreditae sint ad normam iuris communis et particularis, ipsius Academiae conservandae et promovendae

cura in eiusdem Congregationis Superiorem Generalem recidit, qui munere Moderatoris Academiae fungitur.

b) Moderatoris Academiae haec sunt munera praecipua:

1. Praesentat Magno Cancellario, per Rectorem Magnificum, candidatum ad munus Praesidis ad normam art. 13 a designatum, ut positus ponendis de iure, ab illo nominetur.
2. Nominat Vice-Praesidem a Concilio Professorum designatum ad normam art. 8 *d.*
3. Nominat Officiales primi gradus ad normam art. 8 d.
4. Proponit per Praesidem Rectori Magnifico professores a Concilio Professorum a se moderato designatos ad normam art. 8 b et 26 a, ut a Magno Cancellario, obtento *Nihil Obstat* a Sacra Congregatione pro Institutione Catholica, nominentur stabiles vel prima vice, vel ulterius promovendos ut extraordinarios vel ut ordinarios, positus de iure ponendis.
5. Consensum dat ut, per Praesidem, praesententur Rectori Magnifico professores designati a Consilio Professorum ad normam art. 8 c et 26 b, ut ab illo nominentur

professores invitati ad tempus; vel, si agatur de aliquo assistente alicuius professoris, concedatur ab illo *Nihil Obstat*.

6. Consensum concedit, omnibus rite perpensis, cum agitur de professore qui, ad normam art. 29,b,1.2. muneri suo renunciare intendit.
7. Eius sunt iura et officia quae in art. 29,b,4.5. statuuntur circa suspensionem vel remotionem professorum stabilium a suo munere.
8. Moderatur Consilium Professorum cum agit de promotione, longa vacatione, exceptionalis prolongatione muneris, etc., ad normam art. 31, a.
9. Moderatur Consilium Academicum quatenus agit de electionibus vel de mutatione aut de additione alicuius Statuti Academiae, a Sacra Congregatione pro Institutione Catholica obtinenda, ad normam art. 13,d.
10. Interpretatur Statuta Academiae, ratione habita tamen superiorum Auctoritatum.
11. Subscribit documenta authentica Licentiae et Doctoratus, una cum aliis Auctoritatis Academiae.

12. Confert Personae de doctrina morali bene meritae *Doctoratum ad honorem*, servato praescripto art. 38 *Ordinationum Apostolicae Constitutionis Sapientia Christiana* adnexarum.

Art. 6

a) Consilium Professorum constat:

1. professoribus ordinariis et extraordinariis;
2. professoribus consociatis;
3. duobus delegatis quotannis ex professoribus invitatis ad tempus;

b) Secretarius Consilii Professorum a secretis erit, ac Praesidem in explendo munere adiuvabit (Cf. SC 36, 1.2.);

c) Oeconomus ac Bibliothecarius conventibus Consilii Professorum intersunt quoties de rebus ad eorum munus pertinentibus agitur.

Art. 7 - Consilium Professorum convocatur a Praeside ter saltem in anno, et quoties membra Consilii, ratione tertiae partis, id petant, indicato Praesidi obiecto de quo agi debeat.

Art. 8 - Consilium Professorum, quatenus agit de rebus ordinariis Academiae:

- a) designat, maioritate aequae, candidatum ad munus Vice-Praesidis, a Moderatore Generali nominandi;
- b) indicat Moderatori Generali quos professores invitatos oporteat promovere vel prima vice ut stabiles, consociatos, vel ut extraordinarios, vel ut ordinarios ad normam art. 21, 22, 23, servatis de iure servandis;
- c) indicat Moderatori Generali quos expediat prima vice invitari vel ut professores ad magisterium in Academia, vel ut assistentes alicuius professoris, servatis de iure servandis;
- d) indicat Moderatori Generali congregatos SS. Redemptoris quos ad munus secretarii, praefecti bibliothecae, oeconomi ad Academiam vocari conveniat;
- e) determinat programma et calendarium pro anno academico;
- f) ordinationes Academiae conficit et Consilio academico ad probandas praesentat;
- g) agit de methodo ducendi probationes quae cursus concludunt;

- h) constituit munera necessaria vel utilia ut vita academica floreat;
- i) eligit, ad normam *SC Ord. 12*, consilia particularia aut commissiones ad vitam Academiae promovendam, v.g. Consilium oeconomicum, Commissionem "de candidatis promovendis", Commissionem pro bibliotheca, etc.;
- j) nominat membra Commissionis associationis *Editiones Academiae Alfonsianae (EDACALF)*, de qua infra in art. 73-74;
- k) nominat membra Commissionis Redactionis *Ephemeridis Studia Moralia*, de qua infra art. 75-76.

Art. 9

- a) Consilium Professorum sententiam fert maiori-
tate absoluta, nisi expresse aliter statuatur iure communi vel particulari.
- b) Casu quo nihil a iure statuatur et duo e professoribus petant maioritatem besis, Consilium determinat de eorum petitione, maiori-
tate absoluta et secreto.
- c) Scrutinium est secretum, nisi professores unanimiter aliter determinent.
- d) Ut valide procedatur, si agatur de rebus

maioris momenti, necesse est ut sessioni sit praesens dimidia pars membrorum Consilii.

Art. 10 - In casu quo aliqua quaestio non resolvatur in Consilio secundum normam iuris communis et particularis, res dirimitur a Praeside, auditis professoribus ordinariis et extraordinariis.

Art. 11

a) In Consilio Academico partem habent:

1. membra Consilii Professorum Romae praesentia;
2. duo delegati ex professoribus ad tempus invitatis, ab ipsis ad annum electi, praeter illos duos qui iam sunt membra Consilii Professorum;
3. unus delegatus assistentium ab ipsis ad annum electus;
4. duo delegati studentium ordinariorum ab ipsis ad annum electi, ad normam ordinationum quoad modum et tempus electionis;

b) Modus deliberandi et sententiam ferendi in ipsa sessione a Consilio determinatur, moderante Praeside.

- c) Cum agitur de electione Praesidis, professores ordinarii et extraordinarii legitime impediti possunt per procuratorem suffragium ferre, ita tamen ut unius tantum professoris procurator vicem gerat.

Art. 12 - Consilium Academicum semel in anno a Praeside convocatur et quoties plus quam tertia pars membrorum Consilii id petierit, indicato Praesidi obiecto de quo agi debeat.

Art. 13 - Consilium Academicum:

- a) moderante Moderatore Generali designat, maioritate bessis, tres candidatos ex professoribus ordinariis vel extraordinariis Academiae, eligibiles, ad normam iuris communis et particularis, ad munus Praesidis. Tunc Moderator Generalis, concesso suo *Nihil Obstat*, unum ex illis eligit atque per Rectorem Magnificum, obtento *Nihil Obstat* Sacrae Congregationis pro Educatione Catholica, praesentat Magno Cancellario, ut, professione fidei peracta, ab illo nominetur. Casu quo designati minus placeant Moderatori Generali ius illi est novam designationem exigendi ex parte Consilii Academici.
- b) auditur de programmate et de calendario stabiliendo pro anno academico sequenti; de

ordine praelectionum et de methodo in probationibus quae cursus concludunt sequenda;

- c) ordinationes Academiae, a Consilio Professorum confectas, adprobat;
- d) maioritate bessis, cum consensu Rectoris Magnifici et Moderatoris Generalis, proponit Sacrae Congregationi pro Institutione Catholica additionem vel mutationem alicuius Statuti Academiae;
- e) agit de ratione renovandae et augendae vitae Academiae;
- f) agit de relationibus inter Academiam et alia Instituta Universitaria, ut vita academica floreat.

Art. 14

- a) Consilium Academicum sententiam fert maioritate absoluta, nisi expresse in Statutis requirantur duae tertiae partes suffragiorum.
- b) Ut Consilium Academicum valide procedat, necesse est ut sit praesens dimidia pars membrorum eius, ita tamen ut dimidia pars participantium constet professoribus stabilibus: ordinariis, extraordinariis, consociatis, praeter Praesidem.

Art. 15 - Semel saltem in anno Praeses convocat conventum omnium professorum, assistentium et officialium primi gradus, qui de rebus gravioribus ad Academiam attinentibus mentem suam aperiant, competentibus Auctoritatibus subiciendam.

Art. 16 - Praeses Academiae Alfonsianae:

- a) debet esse sodalis Congregationis SS. Redemptoris;
- b) doctoratu in aliqua ex Sacris Disciplinis ornatus sit oportet;
- c) eligitur ad triennium, quo tamen elapso, semel tantum immediate reeligi potest;
- d) amoveri potest omnino gravi de causa, cum consensu Magni Cancellarii, praemonito Rectore Magnifico, a Moderatore Generali et habitis consiliis cum professoribus ordinariis, sed illi iusta concessa possibilitate sese defendendi.

Art. 17 - Praeses Academiae omni illa potestate pollet, quae ad expeditam, tempestivam et efficacem vitam Academiae necessaria est, in rebus ordinariis et minoris momenti, semper tamen, ratione habita utriusque Consilii et superiorum Auctoritatum deliberationum.

Art. 18 - Praesidi ea sunt iura et officia, congrua congruis referendo, quae in art. 14, 15 et 8,6 *SC Ord.* determinantur.

Art. 19 - Vice-Praeses adiuvat Praesidem in explendo munere, eiusque, si impediatur, vices gerit.

Titulus III - De Docentibus

Art. 20 - Professores stabiles sunt qui in Academiam cooptati, in docendo, in studiis scientificis dirigendis, in inquisitionibus ducendis atque in Instituto animando et provehendo, potiores agunt partes. Professores stabiles possunt esse: ordinarii, extraordinarii et consociati (Cf. *SC 23* et *SC Ord. 16*).

Art. 21

- a) Professores ordinarii sunt qui inter stabiles pleno et definitivo titulo in Academia assumpti sunt.
- b) Ut quis tamquam professor ordinarius promoveatur, oportet ut:
 1. qualitatibus quae a *SC 25*, 1 requiruntur praeditus sit;

2. per tres saltem annos ut extraordinarius in Academia laudabiliter magisterio functus sit, spiritu cooperationis in docendo et in investigando atque studio sese Academiae devovendi ductus et ad normam SC *ord.* 28 nova opera scientifica publici iuris fecerit.
- c) Professores ordinarii in Academia saltem sex sint oportet.

Art. 22

- a) Professores extraordinarii, etiamsi stabiles sint, tamen nondum pleno et definitivo iure in Academia assumpti sunt, sed navitate sua ad hunc statum tendunt.
- b) Ut quis uti professor extraordinarius promoveatur, oportet:
 1. qualitatibus a SC 25, 1 et 28 requisitis, positis ponendis, praeditus sit;
 2. per tres saltem annos magisterio in Academia tamquam officio suo principali laudabiliter functus sit ad normam SC 26.

Art. 23

- a) Professores stabiles consociati illi sunt qui, ad normam SC *ord.* 16, 1. assumuntur ad

aliquam disciplinam in Academia tradendam et ad collaborationem scientificam stabiliter praestandam, ita ut studentes eos continuo adire possint.

- b) Ut quis uti professor consociatus cooptari possit in Academiam Alfonsianam, praeditus sit oportet congruo titulo academico atque, saltem per unum annum, ut invitatus munere docendi in Academia tamquam officio suo principali laudabiliter functus sit, ad normam SC 26.

Art. 24

- a) Docentes invitati sunt illi qui ita assumuntur ab Academia ut ad definitum tempus munere fungantur tradendi aliquam disciplinam.
- b) Ut quis qua docens invitatus assumi possit, oportet congruo titulo academico praeditus sit, atque, positis ponendis, illis qualitatibus donetur quae ad normam SC 25 et 26 requiruntur.
- c) Possunt invitari ad tempus, etiam habitualiter, illi quoque qui iam sunt ordinarii vel extraordinarii in alia Facultate, sed ad normam SC *Ord.* 21, 2.
- d) Assumptio docentis ad tempus invitati fit

ad annum, sed indefinite renovari potest, etiam tacite.

Art. 25 - Professores stabiles, de quibus in art. 20 agitur, professione fidei peracta, nominantur a Magno Cancellario, qui eis etiam missionem canonicam confert, obtento *Nihil Obstat* ad normam SC 27.

Ceteri vero docentes a Magno Cancellario vel ab eius Delegato veniam docendi accipere debent et, si casus ferat, professionem fidei emitte.

Art. 26

- a) Professores, sive prima vice stabiles sive promovendi qua extraordinarii sive qua ordinarii, designantur tales a Consilio Professorum, moderante et consentiente Moderatore Generali, et praesentantur per Praesidem Rectori Magnifico ut, obtento *Nihil Obstat* a Sacra Congregatione pro Institutione Catholica atque fidei professione peracta, nominentur a Magno Cancellario.
- b) Professores ad tempus invitandi proponuntur tales a Consilio Professorum ad normam art. 8 b et, consentiente Moderatore Generali ad normam art. 5, b, 5, per Praesidem praesentantur Rectori Magnifico, ut, servatis de iure servandis, ab illo nominentur.

Art. 27 - Consilium Professorum annuatim, initio secundi semestris, ad statum professorum examinandum conveniet.

Art. 28 - Assistentes alicuius professoris nominantur qua tales a Consilio Professorum ad normam art. 8 c, consentiente Moderatore Generali ad normam art. 5. b. 5, et obtento *Nihil Obstat* a Rectore Magnifico.

Art. 29

- a) Docentes ad tempus invitati a munere cessant elapso tempore ad quod assumpti fuerunt.
- b) Professores stabiles a munere cessant:
 1. si iusta de causa muneri renuntiaverint et renuntiatio accepta fuerit a Consilio Professorum, annuentibus Moderatore Generali et Rectore Magnifico;
 2. sexagesimo quinto anno expleto, si professor sponte renuntiaverit, annuente tamen Moderatore Generali;
 3. septuagesimo anno expleto; et tunc emeriti nominantur. Invitari possunt ad tempus, ad cursum specialem vel liberum dandum, vel etiam ad directionem laboris scientifici candidati ad gradus academi-

cos consequendos;

4. qui doctrinam catholicam laeserit vel ad magisterium se non esse idoneum ostenderit. Hoc de casu servetur SC Ord. 22, 2 et 3.

Casu autem quo Consilium Professorum rem componere non valeat, Rectoris Magnifici est, re cum Moderatore Generali discussa, causam ad Magnum Cancellarium deferre;

5. qui regulas vitae moralis vel disciplinae ecclesiasticae graviter offenderit. Tunc ius est Moderatori Generali, gravi quidem de causa et eius onerata conscientia, praesertim si agatur de sodali suae Congregationis, consilio prius inito cum Praeside et cum Rectore Magnifico, professorem a munere suspendere vel etiam eius revocationem a Magno Cancellario petere, servata tamen normam SC 22, 2;

6. si munus accipiant quod cum docendi munere in Academia componi non possit, secundum iudicium professorum, certiore facto et annuente Rectore Magnifico. Quodsi impedimentum sit temporaneum tantum, congrua vacatio concedi potest.

Art. 30

- a) Dicitur Assistens ille qui applicatur ali-

cui professori stabili in suo cursu vel seminario dirigendo.

- b) Ut quis in Academia assumi possit qua Assistens, saltem titulo licentiae praeditus sit oportet.
- c) Assumptio assistentis fit ad annum ad normam art. 28, sed confirmari potest.
- d) Assistentis est professoribus stabilibus assistere non solum in praelectionibus et in seminariis, sed etiam in studio alumnorum ducendo, semper tamen sub professorum vigilantia.

Art. 31

- a) Professorum vel docentium promotio, longa vacatio, exceptionalis prolongatio muneris, a munere cessatio, emeritum et similia tractantur a Consilio Professorum cum Praeside, moderante Moderatore Generali.
- b) Resolutio conferenda est cum Rectore Magnifico, si casus ferat.
- c) Quae statuuntur sub lettera a) valent etiam pro Officialibus Academiae.

Art. 32

- a) Omnes cuiusvis generis docentes, sive stables sive invitati, sive assistentes, iis qualitatibus praediti sint oportet de quibus agitur in articulo 26 Constitutionis Apostolicae *Sapientia Christiana*.
- b) Praeterea ad normam articuli 39 eiusdem Apostolicae Constitutionis, libertate, qua omnes docentes gaudent tum in investigando tum in docendo, utantur intra limites Verbi Dei, obsequenti sui dispositione erga Magisterium Ecclesiae, cui munus concreditum est Verbum Dei authentice interpretandi.

Titulus IV - De Studentibus

Art. 33

- a) Academia Alfonsiana omnibus patet, sive clericis sive laicis utriusque sexus, qui, legitimo testimonio praediti, vitae moribus ac studiis praevis idonei sint ut Instituto superiori theologiae morali adscribantur.
- b) Quae requiruntur ut testimonium sit legitimum, in Ordinationibus Academiae statuuntur, servato tamen iure communi, praesertim illis quae statuuntur a *SC Ord.* 24, 1.

Art. 34 - Studentes sunt:

- a) ordinarii, qui omnia requisita adimplere intendunt ad licentiam, doctoratum vel diploma in Academia consequendum;
- b) extraordinarii et hospites, quibus facultas est unum vel alterum cursum vel nonnullorum seriem eligere et frequentare. Extraordinarii contendunt ad testimonium cum voto, examine peracto; hospites vero tantum ut auditores admittuntur.

Art. 35

- a) Studentes ut ordinarii ad licentiam vel ad doctoratum adscribi possunt ad unam tantum Facultatem (Cf. *SC Ord.* 25, 2). Possunt tamen frequentare aliquos cursus in alia Facultate, qui valeant in Academia, re tamen composita cum Auctoritatibus academicis Facultatis et Academiae.
- b) Auditores ordinarii ad Diploma possunt adscribi ut ordinarii ad aliam Facultatem, re tamen composita cum Auctoritatibus Academiae ne studia academica aliquid patiantur, cum frequentia sit omnino requisita etiam ad Diploma.

Art. 36

a) Ut quis in Academia cursus adscribatur, requiritur:

1. ut candidatus ad Licentiam specialisationis in theologia morali sit decoratus Baccalaureatu in theologia; vel, si isto careat, positive expleverit integrum curriculum philosophico-theologicum in aliquo Seminario vel Studentatu. Quo servato, in casu dubii de sua idoneitate ad profundiora studia secundi cycli, oportet ut congruum superaverit examen in Academia;

2. ut candidatus

a - cognitionem habeat linguae latinae et greco-biblicae. Valde laudatur cognitio linguae hebraicae; quae tamen obligatoria esse potest pro illo qui ad Licentiam vel ad Doctoratum contendat de re morali biblica;

b - antequam Licentia coronetur, praeter linguam maternam et italicam, cognoscat aliam linguam modernam, cuius determinatio pendet etiam a natura dissertationis scientificae cui candidatus incumbere velit;

c - praeter linguam italicam et alteram de

qua supra sub 2 b, qui ulterius progreditur ad Doctoratum alteram linguam cognoscat, cuius determinatio datur a directore dissertationis, inspecta huius dissertationis natura necnon sectoris theologiae morali in quo candidatus in posterum agere sibi proponit;

3. ut candidatus ad Doctoratum Licentia in theologia morali potiatur.

b) Adscriptio ad tertium cyclum theologiae morali est actus academicus plane distinctus ab adscriptione ad secundum cyclum. Nova igitur postulatio Secretario praesentetur oportet.

c) Nequit admitti ut candidatus ad Doctoratum qui in cursu ad Licentiam clarum non dederit testimonium de sua idoneitate ad opus scientificum tum in investigando, tum in componendo theologicis. Proinde obstat nota complexiva secundi cycli quae sit humilis etsi positiva.

d) Qui vero ad Diploma tantum studii superioris in theologia morali contendit, si careat Baccalaureatu, testimonium validum afferre debet ex quo clare pateat eum habere praeparationem culturalem et theologicam, vi cuius profundiora studia in Academia sequi possit. Si testimonio careat, requiritur candidatum

superavisse congruum in Academia examen.

Art. 37 - Ab auditoribus, etiam academicis titulis pollentibus, qui indigeant integratione doctrinae in aliquo cursu, quae sit necessaria ad studia secundi et tertii cycli in theologia morali, Academia ius habet exigendi integrationem istam, praeter cursus qui in Ordinationibus statuuntur pro II et III cyclo.

Art. 38

- a) Academia agnoscere potest cursus in alio Instituto aut Facultate frequentatos, etiam si sint specialisationis theologico-dogmaticae, biblicae, anthropologicae, dummodo aequivaleant studiis in Academia et constet testimonio certo. De hoc iudicat Praeses, audito, in casu dubii, Consilio Professorum.
- b) Academia potest agnoscere semestre secundi cycli in alia Facultate theologica frequentatum, salvo iure integrationis ad formam Academiae. De hoc iudicat Consilio Professorum.
- c) Transitus ab alia Facultate ad Academiam fieri potest initio anni academici tantum vel secundi semestris.

Art. 39 - Frequentia praesentiae praelectionibus, seminariis, etc. in Academia est absolute obligatoria ad cursum validitatem.

Art. 40

- a) Studentes ordinarii sunt activa membra vitae universitariae, quae concipitur ut vita communitaria. Proinde ad eius bonum commune provehendum, pro sua connaturali parte, regimen Academiae participant, principio collegialitatis servato.
- b) Hoc autem fit praesertim electione deputatorum studentium ad Consilium Academicum. Ista electio fit a studentibus ordinariis, ad normam Ordinationum studentium, singulorum iure plene servato. Voce passiva gaudent ordinarii, regulariter initio anni academici adscripti.

Art. 41 - Academia agnoscit studentium organisationes quae ad normam suarum Ordinationum, Academiae exhibendarum, finalitates prosequuntur, quae ad vitam academicam conferant, vel cum ipsa stricte sint connexae.

Art. 42

- a) Studentes qui disciplinam praescriptam et ideo ipsum bonum commune omnium membrorum

offendunt, a praelectionibus suspendi possunt a Praeside, cum consensu Consilii Professorum, si suspensio sit in perpetuum. Nisi res sit talis ut secretum servari debeat, studentium deputati de re certiores fiant. Iudicium de hoc fert Praeses Academiae.

- b) Studens vel studentes de quibus hic agitur, facultatem habent recurrenti ad Rectorem Magnificum, cuius sententiae standum erit.

Titulus V - De Officialibus et Administris

Art. 43 - Officiales Academiae in tres gradus distribuuntur:

- a) Officiales primi gradus sunt: Secretarius, Praefectus bibliothecae, Oeconomus;
- b) Officiales secundi gradus: bibliothecarius auxiliarius; consultor studentium, delegatus pro publicis relationibus;
- c) Officiales tertii gradus sunt: administri variis Academiae servitiis addicti. Munus eorum praecipuum est coadiuvare Officiales maiores in subsidiis didacticis apparandis et materialem sedis Academiae una cum Oeconomo conservationem curare.

Art. 44

- a) Munera officialium describuntur in Ordinationibus Academiae.
- b) Officiales primi gradus eliguntur a Moderatore Generali ad normam art. 5.b.3; 8.d. Officiales secundi et tertii gradus eliguntur ad normam Ordinationum Academiae.

PARS III

DE RATIONE STUDIORUM

Titulus VI - De methodo generali

Art. 45

- a) Academiae Alfonsianae ratio fundamentalis eo tendit ut studiorum ratio secundi et tertii cycli in theologia morali respondeat tum profundiori Christi Mysterii salvifici intelligentiae, theorice et practice, tum propensionibus et postulatis quae in studiis superioribus theologiae moralis hodie universaliter persentiuntur.
- b) Ideo methodus qua Academia Alfonsiana theo-

logiam moralem excolit eo tendit ut eius expositio, Sacris Scripturis nutrita et in connexione cum aliis disciplinis etiam philosophicis, praesertim cum metaphysica, nec non anthropologicis, illustret *celsitudinem vocationis fidelium in Christo eorumque obligationem in caritate pro mundi vita fructus ferendi* (cf. OT, n. 16).

Art. 46 - Ad progressum theologiae moralis, tum ex scientifica investigatione et expositione, tum ex profundiore intelligentia fidei, Academia fovet atque defendit:

- a) professorum, in investigando et in docendo, libertatem scientiae propriam et simul fidelitatem Dei Verbo et Populi Dei ministerio, in plena communione cum Ecclesiae Magisterio ad normam SC 39;
- b) studentium navitatem, ita ut sollicitudo pro mundi vita nostri temporis active ab intus progrediatur, accepto libenter a studentibus docentium adiutorio.

Art. 47

- a) Specialisatio in theologia morali, prout est propria Academiae, duobus producitur bienniis: ad Licentiam, ad Doctoratum.

- b) Ista specialisatio plane discernit methodum institutionalem a methodo profundioris investigationis. Praesupponitur enim universa de theologia tractatio primi cycli, ad normam SC 72 a; Ord. 52.
- c) Discernit insuper specialisatio Academiae Alfonsianae methodum docendi et investigandi secundum inter et tertium cyclum. In secundo cyclo tum doctrina in docendo tum investigatio personalis procedunt simul analytice et synthetice, ita ut habeatur vera theologiae moralis specialisatio. Quae tamen non est monographica, quatenus, vi suae naturae, assumit magna themata theologiae moralis ut, sub lumine Mysterii Christi, profundior evadat visio synthetica candidati ad Licentiam (Cf. SC 67, 2; 72 b).
- d) In tertio cyclo methodus investigationis personalis praevallet quin excludantur, praesertim in primo anno, aliqui cursus magistrales. Investigatio autem fit sub directione professoris, vel professorum. Praevalet igitur analysis monographica in aliquo sectore, apta et peculiari methodo ducenda, prout natura argumenti postulat. Hoc ultimum eminet in elaboratione dissertationis doctoralis, qua tota formatio theologica perficitur ad normam SC 73 c.

*Titulus VII - De secundo Cyclo: curriculum,
probationes*

Art. 48 - In secundo cyclo traduntur ex theologia morali:

- a) principia vitae moralis: nempe valores fundamentales et dynamismi anthropologici, quibus homo novus in Christo dirigitur et moraliter agit in hoc mundo;
- b) argumenta seu themata quae sint magni momenti, vel ex sui natura in vita hominis, vel ratione actualitatis historicae, ita ut haec sub lumine principiorum tractentur;
- c) cursus qui de principiis agunt pertinent ad theologiam moralem fundamentalem; cursus vero qui de magnis thematibus agunt ad theologiam moralem specialem pertinent.

Art. 49

- a) Sive principia sive magna themata moralia diverso sub aspectu tractantur, nempe: systematice, biblice, patristico-historice, anthropologice, philosophice, hermeneutice-methodologice.
- b) Proinde in Academiae studiis plures distinguuntur tractationis sectores seu partes de re morali:

1. Pars systematica quae agit:

a - de theologiae moralis fundamentalis principiis anthropologicis ethicae naturalis et de principiis supernaturalibus;

b - de theologiae moralis specialis argumentis magni momenti;

2. Pars biblica, quae tradit principia et magna themata vitae moralis, prout ex Veteri et ex Novo Testamento enucleari possunt;

3. Pars patristico-historica, quae agit de doctrina morali prout a Patribus et a scriptoribus ecclesiasticis primo excolta et tradita fuit, atque de eius evolutione per saecula, tum populorum moribus et culturis tum scriptorum operibus;

4. Pars philosophica, quae de veritate morali personae hominis et humanitatis tum theoretice tum historice agit;

5. Pars anthropologico-empirica, quae de scientiis moralibus agit biologice, psychologicice, sociologicice, iuridice, socio-culturaliter, socialiter, politice, oeconomicice, etc., non neglecta philosophica mediatione;

6. Pars hermeneutica-methodologica, quae agit:

a - de hermeneutica sensus et significationis moralis tum rerum gestarum veterumque documentorum, tum ipsius aetatis contemporaneae, prout in futurum tendit, in virtute Spiritus Christi;

b - de methodologia technica in investigatione et compositione operis scientifici qua talis.

Art. 50

- a) Cursus ita sunt eligendi ut summa eorum, expressa numero certificationum (credits), sit pro toto biennio ad Licentiam, 40 certificationum. Quibus tamen addendae sunt certificationes seminariorum de quibus infra in art. 51, et certificationes pro analysi quattuor scriptorum operum, de quibus in art. 52 c, et aliae de quibus in art. 54 b, et in art. 56 b.
- b) Ratio certificationum pro cursibus est haec: una hora hebdomadaria per totum semestre una valet certificatione;
- c) Certificationes pro cursibus ita distribuuntur oportet per quattuor semestria, ut per singula semestria habeantur non amplius

quam duodecim certificationes ex frequentia cursum. Proinde non admittuntur pro unoquoque semestri examina quorum summa excedat duodecim certificationes validas pro gradu academico Licentiae, ne extensio argumentorum noceat profunditati studio. E contra non est validum semestre in quo summa certificationum ex cursibus sit inferior quattuor certificationibus, praeter certificationes de quibus infra in art.51 et 52.

Art. 51 - Praeter cursus active frequentari oportet plura seminaria quorum numerus, tempus et certificationes statuuntur in Ordinationibus et in calendario quotannis, ita ut seminarium, per totum semestre productum activa et collegiali discussione laborem in scriptis singulorum studentium, una valeat certificatione.

Art. 52

- a) Singulis quattuor semestribus studentes commentari debent in scriptis aliquod auctoris opus de re morali, re composita cum professoribus a studentibus ipsis electis.
- b) Scripta libri commentatio, si sint plures lectores unius libri, fructuose potest in communi ab illis disputari.

- c) Duae librorum scriptae commentationes una valent certificatione.

Art. 53

- a) Singuli cursus secundi cycli concluduntur probationibus.
- b) Hae probationes fieri possunt colloquio studentis cum professore vel aliquo scripto, vel alio modo a Consilio Professorum in Ordinationibus probato. Pariter in Ordinationibus determinantur temporis spatia probationibus impendenda.

Art. 54

- a) Probatio progressus studentis ad gradum Licentiae, de qua agit SC art. 44 et praesertim *Ord.* 53, inspecta natura specialisationis in theologia morali, fit aequipollenter sic: duabus vicibus in secundo anno biennii studentis datur, aliquot diebus ante probationem, argumentum quod enucleari, exponi et discuti debet coram duobus professoribus, ita ut appareat personalis capacitas studentis tum synthesim complexivam doctrinae acquisitae enucleandi, tum clara methodo et doctrina disse-
rendi, ita ut dignus sit *Licentia docendi*.

- b) Duplex ista probatio complexiva et synthetica finalis, si sit positiva, quattuor valet certificationibus.

Art. 55

- a) Examina cursum possunt iterari, si fuerunt negativa.
- b) Pariter iterari potest probatio de qua actum est supra art. 54 a.

Art. 56

- a) Expleto toto curriculo cursum, seminariorum, commentationum libri, probationum tum singulorum cursum, tum totius biennii, admittitur dissertatio scripta quae momentum habeat et probet candidatum ad Licentiam esse vere in opus scientificum exarandum introductum. Haec dissertatio probari debet a direttore candidati in ea conficienda et ab alio professore, ita ut nota probationis non sit inferior 7/10.
- b) Exaratio dissertationis ad Licentiam positive probata 10 valet certificationibus, independenter a nota positiva probationis.
- c) Studens qui sit impar ad laborem dissertationis vere scientificae positive ducendum nequit Licentia docendi coronari.

*Titulus VIII - De tertio Cyclo: curriculum,
probationes*

Art. 57 - Tertius cyclus theologiae moralis eo tendit ut studens, coronatus Licentia in in eadem theologia morali, tali modo progrediatur, ut sit habilis ad docendum in Facultate universitaria theologiae (Cf. SC 50, 1).

Art. 58 - Candidatus ad Doctoratum principaliter incumbit elaborationi dissertationis doctoralis, quae ad theologiae moralis progressum vere conferat (SC 49, 3).

Art. 59

- a) Ante finem mensis octobris studens, moderante professore a se electo et probantibus Praeside et alio professore a Praeside designato, argumentum suae dissertationis doctoralis determinat.
- b) Determinato dissertationis themate, statuitur a duobus professoribus et a Praeside una cum studente curriculum primi anni biennii ad Doctoratum, prout scientifica elaboratio dissertationis exigit. Documentum tradatur Secretario Academiae, in Archivio servandum.

Art. 60

- a) Academia, praesertim in secundo anno biennii ad Doctoratum, favet experimentis magisterii ex parte candidati ad Doctoratum, sub vigilantia professoris.
- b) Candidatus ad Doctoratum dirigere potest candidatos ad Diploma vel etiam aliquando ad Licentiam, in exercitationibus seminariorum, semper tamen sub vigilantia professoris.

Art. 61 - Ordinationes determinant modum probationum in biennio ad Doctoratum.

Art. 62 - Ut quis coronetur laurea Doctoris in theologia morali requiritur:

- a) ut Licentiam in theologia morali cum laude sit assecutus;
- b) ut in omnibus probationibus cursus ad Doctoratum fuerit positiva nota donatus;
- c) ut dissertatio, vere theologiae moralis progressui conferens, sit cum plausu coram tribus professoribus magistraliter exposita et disputata;
- d) ut saltem notabilis pars dissertationis

post disputationem edita fuerit, stricte servatis emendationibus trium professorum et normis technicis iuxta Ordinationes Academiae.

Art. 63 - Academia Alfonsiana *Doctoratum ad honorem* conferre potest ad normam SC 51.

P A R S I V
D E R E B U S

Titulus IX - De bibliotheca

Art. 64 - Ad proprios fines assequendos, maxime ad investigationem scientificam peragendam, Academia Alfonsiana Bibliotheca Domus S. Alfonsi in Urbe utitur.

Art. 65 - Ad istos fines prosequendos docentes et studentes illis conditionibus gaudere debent, quae faveant consultationi librorum, ut sunt aula consultationis adaequate condita et opportunis catalogis instructa, congruum personarum servitium (Cf. SC 52).

Art. 66 - Statuta specialia Bibliothecae, a Consilio Professorum proposita et a Superiore

riore Generali probata, normas determinant quibus librorum usus regi debeat ut Bibliotheca facile et immediatum servitium omnibus utentibus praestare possit.

Art. 67 - Congrua pecuniae summa quotannis assignata, Bibliotheca continuo augeatur libris atque praecipuis commentariis periodicis, ita ut disciplinis tam investigandis et tradendis, quam discendis, atque exercitationibus et seminariis perficiendis efficaciter servire possit (Cf. SC 53).

Art. 68 - Bibliothecae praeficitur peritus in hac re, qui ab apto Consilio in munere fungendo adiuvetur, ad normam Ordinationum (Cf. SC 54).

Titulus X - De rebus oeconomicis

Art. 69 - Academiae Alfonsianae ea bonorum copia praesto sit oportet, sine qua finem suum in Ecclesia Christi assequi nequit (Cf. SC, 56).

Art. 70 - Status patrimonialis et iura proprietatis Academiae speciali reguntur statuto, in quo peculiaris iuridica conditio Instituti academici intra ambitum Congregationis SS. Redemptoris agnoscitur et describitur.

Art. 71 - Studentes Academiae aequo modo, in Ordinationibus determinato et in calendario descripto, ad ordinarios sumptus vitae Academiae contribuunt (Cf. SC 59).

Art. 72 - Professoribus et Officialibus qui non sunt sodales Congregationis SS. Redemptoris Academia stipendia solvit iuxta rationes pro similibus muneribus communiter acceptis, ratione quoque habita protectionis et cautionum socialium (Cf. SC 58).

Art. 73 - Academiae onus incumbit tempestive disponendi media quibus provideri debeat cum decore sustentationi et studiis professorum et officialium qui sodales sunt Congregationis SS. Redemptoris.

Titulus XI - De activitate editoriali

Art. 74 - Academia, ad promovendam suorum docentium et aliorum theologiae moralis cultorum navitatem ope publicationum, suam habet associationem editricem cui titulus: *Editiones Academiae Alfonsianae*, (brevius *EDACALF*), servatis de iure civili in Urbe servandis.

Art. 75 - Consilium Professorum nominat Commissionem directionis associationis editricis

collegialiter agentem, et adprobat statuta associationis a Commissione una cum Praeside redacta.

Art. 76 - Academia Alfonsiana edit Commentarium (Rivista) de re morali, cui titulus: *Studia Moralia* (brevius *StMor*).

Art. 77 - Consilium Professorum nominat Commissionem redactionis, quae in solidum repraesentat Commentarium.

Art. 78 - Professores Academiae collaborant cum Commissione redactionis studia vel communicationes vel alia huiusmodi edendo.

Art. 79

- a) Academia Alfonsiana cum Commissione agnoscit libertatem, vi scientiae theologiae, scriptoris tum in investigando tum in exponendo sua opinione, quin tamen ipsa Academia et Commissio respondeant de scriptorum opinionibus. Attamen Academia cum Commissione, eo quod firmiter adhaerent Verbo Dei et erga Magisterium Ecclesiasticum fidele praestant obsequium, in suo munere, sive investigationis scientificae sive formationis ecclesialis, nequeunt indifferenter se habere quoad ea quae, ipsis patrocinantibus, publici iuris fiunt. Casus vero con-

troversi solvuntur ope supervisionis Moderatoris Generalis, qui suo *Imprimatur* singulas publicationes confirmet, personaliter vel per delegatum.

- b) Iura Auctoritatis Ecclesiasticae, cum eius approbatio requiritur, Academia servat.

PARS V

DE INCEPTIS CULTURALIBUS

Titulus XII - De Cursu ad Diploma

Art. 80 - Academia Alfonsiana, praeter cursus ad Licentiam et ad Doctoratum, instituit cursum studiorum theologiae moralis pro illis qui cupiant addiscere scientiam moralem ad munera in societate ecclesiali et civili digne obeunda.

Art. 81

- a) Cursus iste quattuor semestribus perdurat, sive continuatim sive cum intervallo.
- b) Cursus coronatur Diplomate speciali, quod suum habet momentum, uti constat ex curriculo lectionum in calendario quotannis pro-

posito.

Art. 82 - Curriculum ad Diploma constat:

- a) sexdecim cursibus Lectionum, examine concludendis, qui ita distribuuntur oportet ut singulis semestribus frequententur non minus quam duo cursus, non amplius quam sex. Frequentia praesentiae cursibus est obligatoria;
- b) seminariis diversis semestribus ad normam Ordinationum et Calendarii;
- c) quattuor commentationibus analyticis alicuius operis auctoris de re morali, una pro singulis semestribus, re cum aliquo professore composita. Analysis ista fit in scriptis.

Art. 83 - Curriculum concluditur dissertatione vere scientifica de aliquo argumento morali, sub directione alicuius professoris.

Art. 84 - Ut quis adscribatur in Cursum ad Diploma sufficit ut habeat vel Baccalaureatum in aliqua disciplina ecclesiastica, vel testimonium aequipollens, ex quibus constat ipsum habere praeparationem in re theologica vi cuius possit ad specialisationem accedere.

*Titulus XIII - De Circulo Alfonsiano Culturae
Moralis*

Art. 85 - Academia Alfonsiana instituit, intra limites suae sedis in Urbe, Circulum Alfonsianum culturae moralis, qui studeat et fa- veat diversis inceptis, quibus cultura Theologiae moralis, praesertim laicorum, promoveri possit.

Art. 86 - Consilium Professorum nominat Direc- torem et eius Consilium quod inceptis pro- movendis studeat, prout concreta vita Ec- clesiae suggerit.

Art. 87 - In compositione Consilii, praeter pro- fessores Academiae, habeantur laici, qui active agant in Circulo Alfonsiano prove- hendo.

Art. 88

a) *Circulus potest cursus organicos lectionum vel conventus, vel seriem minorem lectionum (conferenze) de re morali promovere.*

b) *Illis qui active cursus organicos ampliores frequentaverint potest testimonium laudis conferri.*

I N D E X

<i>Prooemium - Historica notitia</i>	5
<i>Pars I - De Academia Alfonsiana</i>	6
<i>Titulus I - De Academiae fine et consti- tutione</i>	6
<i>Pars II - De personis</i>	9
<i>Titulus II - De regimine Academiae</i>	9
<i>Titulus III - De docentibus</i>	12
<i>Titulus IV - De studentibus</i>	26
<i>Titulus V - De officialibus et Administris</i>	32
<i>Pars III - De Ratione studiorum</i>	33
<i>Titulus VI - De methodo generali</i>	33
<i>Titulus VII - De Secundo Cyclo: curriculum, probationes</i>	36
<i>Titulus VIII - De Tertio Cyclo: curriculum, probationes</i>	42

Pars IV - De rebus	44
<i>Titulus IX - De bibliotheca</i>	44
<i>Titulus X - De rebus oeconomicis</i>	45
<i>Titulus XI - De activitate editoriali</i>	46
Pars V - De inceptis culturalibus	48
<i>Titulus XII - De Cursu ad Diploma</i>	48
<i>Titulus XIII - De Circulo Alfonsiano culturæ moralis</i>	50